Testamentum S[erenissi]mi Michaelis Regis Poloniæ

In Nomine Domini Amen

00119

Si quidpiam aliud mediocris sortis iuxtaque Principum animos magis exercere debet, illud primum ac praecipuum, ut ad normam Christianae Religionis vitam suam componendo, novissimorum continuam foveant memoriam, ut vitae humanae quandoque egressi stadium Mortalitatis ita decurrant, ut bravium Beatae aeternitatis feliciter comprehendant. Ita omnino Divini Numinis voluntate ordinatum, ut veluti a communi nascendi sorte Principes non eximit, ita moriendi memorabilis eadem decreta sit necessitas. Nihilque certius quam vitam tot casibus obnoxiam cedere in spolium mortalitati. Regium itaque existimavi inter ea vicissitudinis humanae spectacula, quae omni momento in oculos auresque incurrunt, serium intendere cogitationem ne imparatus a supremâ et ineluctabili fatorum deprehendar necessitate. Dum igitur gravi infirmitate prostratus et lecto affixus hominem me esse memini et in confinio vitae et Mortis positum, hanc ultimae meae voluntatis connotationem aggredior, seroque posteritati volo consignare, quod cognitionem mei ipsius tam in vitâ quam in Morte nunquam exuerim. Condo itaque et ordino testamentum meum omni meliori modo viâ formâ ac stylo.

Ac inprimis Divinae Maiestati pro omnibus beneficiis, tributarias exolvo gratias, interque illud primo repono loco quod in fide Catholica Orthodoxa Romana natus sum et educatus, et quam cum Sanguine paterno, Lacteque Materno hausi, eandem fidem ad extremum vitae meae halitum retenturum me constantissime profiteor et recognosco, et si quidpiam in ultimo agone Tentator Spiritus suggerere vellet, damno, reiicio, nunquam me consensurum aut consentire velle protestor. Sanctissimae Virgini Matri Patronae meae a prima pueritia summas refero gratias, quod ope auxilio patrocinio per omnem vitam mihi indigno famulo Clienti adstiterit. Patronis meis Sancto Michaeli Archangelo et Thomae Apostolo, quorum nomina in Baptismo sortitus sum, quam possum devotissime me recommendo, oroque ut in extremis meis, et in suprema illa luctâ, unde animae meae pendebit aeternitas adesse et auxiliari vellent.

Serenissimae Reginae Dominae Consorti meae Charissimae ultimo hoc gratae Voluntatis Symbolo, intimum affectum meum consigno, cuius eximium erga me studium et integerrimum amorem, ac cum maiorum et Imperatorio suo Sanguine dignissimarum Virtutum cumulo expertus, quoniam per brevioris vitae meae et Regiminis cursum, eidem in adeundâ possessione bonorum Reformatoriorum non sit satisfactum. Ut Senatus et Equester Ordo condignam eius Maiestatis habeant rationem et dignitati ac utilitati eiusdem studere non intermittant, maiorem in modum rogo.

Senatui Ordinique Equestri ultimum dico vale, et benevoli animi refero testimonium, quod Regimen tanti Regni mihi commiserint, meque praeter spem meam et vota unanimi consensu ad Solium Regium evexerint. Imperfectiones si aliquas in me invenerint rogo ignoscant et indulgeant, omnibus qui mihi favere fidi et benevoli altissimus retribuat, dum mihi non superest modus compensandi, quidquid vero offensionum diffidentiarum iniuriarum per Confoederationes et quosvis in Republica Motus intervenerit ignosci mihi rogo, quia ego omnibus ex toto corde ignosco